An. et vol. XXXVII — 27 Aprilis 1945 — (Ser. II, v. XII) - Num. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM. — Acta Pii Pp. XII: Epistula Encyclica, p. 97 – Constitutiones Apostolicae, p. 101 – Litterae Apostolicae, p. 108 – Epistula, p. 110 – Allocutio, p. 111. — Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis*: Provisio Ecclesiarum, p. 116 – *S. C. pro Ecclesia Orientali*: Provisio Ecclesiae, p. 117 – *S. C. Concilii*: Resolutio, p. 118 – *S. C. Rituum*: Decretum introductionis causae pro beatificatione S. D. Augusti Etchécopar, p. 120. — Appendix: *Vicariatus Urbis Tribunal*: Citatio edictalis, p. 123. — Diarium Romanae Curiae: S. C. dei Riti: Congregazioni varie – Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze – Necrologio, pp. 124-128.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XLV

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
Administratio:
Libreria Vaticana — Città del Vaticano

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 100 — extra Italiam, *L. it.* 200 —
Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 15 — extra Italiam, *L. it.* 25 —

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

Conto corrente con la Posta

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXVII, n. 4 - 27 Aprilis 1945)

ACTA PII PP. XII

EPISTULA ENCYCLICA

PAG.

Communium interpretes dolorum. - Ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios, pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes: publicae indicuntur supplicationes ad populorum pacem conciliandam. - *15 Aprilis 1945* . . 97

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I. *Cincinnatensis* (Indianapolitana). - A metropolitico Archiepiscopi Cincinnatensis iure dioecesis Indianapolitana solvitur et ad metropolitanae Ecclesiae gradum et dignitatem evehitur, atque ex ea et a dioecesi Wayne Castrensi (et ipsa a provincia ecclesiastica Cincinnatensi abstracta), et ex dioecesibus Evansvicensi et Lafayettensi in Indiana, nuper erectis, nova constituitur ecclesiastica provincia Indianapolitana. - *21 Octobris 1944* 101

II. *Indianapolitana* (Evansvicensis). - Ab archidioecesi Indianapolitana pars dismembratur et nova exinde erigitur dioecesis Evansvicensis. - *21 Octobris 1944* 103

III. *Wayne Castrensis* (Lafayettensis in Indiana). - A dioecesi Wayne Castrensi territorii pars dismembratur et nova exinde erigitur dioecesis Lafayettensis in Indiana nuncupanda. - *21 Octobris 1944* 106

LITTERAE APOSTOLICAE

Nobis exponendum. - Pia Unio Matrum christianarum, vulgo « Bruderschaft Christlicher Mütter » nuncupata, in templo abbatiali Einsidlensi canonice instituta, ad Primariae dignitatem pro omnibus Helvetiae dioecesibus evehitur. - *19 Martii 1944* . 108

EPISTULA

Explenti feliciter. - Ad Emum P. D. Alexandrum Tit. Sanctae Mariae in Cosmedin S. R. E. Presbyterum Cardinalem Verde, Patriarchalis Basilicae Liberianae Archipresbyterum, octogesimum aetatis annum feliciter explentem. - *27 Martii 1945* . 110

ALLOCUTIO

A Beatissimo Patre, die 18 mensis Martii a. 1945, habita coram populo in foro Sancti Petri in Vaticano ob paenitentiales supplicationes coadunato . 111

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Provisio Ecclesiarum 116

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

Provisio Ecclesiae 117

SACRA CONGREGATIO CONCILII

Dioecesis C. - Reservationum Apostolicarum. - *11 Novembris 1944* 118

SACRA CONGREGATIO RITUUM

Baionen. - Decretum introductionis causae pro beatificatione Servi Dei Augusti Etchécopar, Superioris Generalis Congregationis Presbyterorum Ssmi Cordis Iesu de Bétharram. - *26 Ianuarii 1945* 120

APPENDIX

VICARIATUS URBIS TRIBUNAL

Citatio edictalis: Romana. - Nullitatis matrimonii (Lungarini - Crescenzo). - *14 Aprilis 1945* 123

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Sacra Congregazione dei Riti: *Varie* . 124

II. Segreteria di Stato: *Nomine e Onorificenze* 125

III. Necrologio 128

An. et vol. XXXVII 27 Aprilis 1945 (Ser. II, v. XII) – Num. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

EPISTULA ENCYCLICA

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: PUBLICAE INDICUNTUR SUPPLICATIONES AD POPULORUM PACEM CONCILIANDAM.

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Communium interpretes dolorum, quibus iam diu universae paene gentes tam acerrime anguntur, nihil reliqui facere cupimus, quod vel ad innumeras miserias pro viribus relevandas leniendasque conducat, vel ad tantae cladis finem maturandum pertineat. At probe novimus impares esse hominum opes ingentibus hisce medendis calamitatibus; novimus consilia humanae mentis, cum eam praesertim odium fuscaverit atque simultas, non facile posse ad iustam et aequam rerum compositionem ad fraternamque revocari concordiam. Opus est igitur Patrem luminum et misericordiarum [1] etiam atque etiam implorare, qui unus in tam vehementi animorum conversione concitationeque

[1] Cf. Iac. 1, 17; *2 Cor.* 1, 3.

suadere omnibus potest nimias iam ruinas vastationesque formidolosum in cumulum esse adiectas, nimium lacrimarum nimiumque cruoris effusum esse; atque adeo divina humanaque iura iubere omnino ut teterrima eiusmodi caedes quam primum remittat ac desinat.

Quapropter mense appropinquante Maio, peculiari modo Deiparae Virgini sacro, quemadmodum iam superioribus annis, ita cupimus in praesens iterum adhortari omnes — tenellos praesertim innocentesque pueros — qui a Divino Redemptore, Sanctissimae eius Matris deprecatione interposita, supplices contendant, ut populi, in discordiam, in colluctationem, in omne genus miseriarum transversum acti, a diutino tandem angore luctuque respirare queant. At quandoquidem peccata sunt, quae peccavimus ante Deum,[2] quae nos ab eo avertunt et in ruinam miserrime detrudunt, idcirco haud satis est, ut probe nostis Venerabiles Fratres, impensae ad Caelum fundere preces; haud satis est Beatissimae Virginis frequentissimos adire aram, eique stipem, flores, supplicationesque deferre; sed oportet omnino christianis moribus publicam privatamque renovare vitam, atque ita solida illa fundamenta iacere, in quibus solummodo domesticae ac civilis consortionis aedificium non discors, non labans, sed firmum, sed concors inniti ac consistere possit. Illa igitur sacri vatis monita reminiscantur omnes et in suae inducant vitae rationem: « Convertimini ad me, ait Dominus exercituum: et convertar ad vos.. » [3] itemque effata illa meditentur sapientissimi Hipponensis Episcopi: « Muta cor, et mutabitur opus: extirpa cupiditatem, planta caritatem ».[4] « Pacem desideras? Fac iustitiam, et habebis pacem: iustitia enim et pax osculatae sunt.[5] Si non amaveris iustitiam, pacem non habebis: amant enim se duo ista, iustitia et pax, et osculantur se: ut si feceris iustitiam, invenias pacem osculantem iustitiam ... Si vis ergo venire ad pacem, fac iustitiam: declina a malo et fac bonum,

[2] Cf. *Bar.* 6, 1.
[3] ZACH. 1, 3.
[4] S. AUG., *Serm. de Script.* 72, 4; PL, 38, c. 468.
[5] *Ps.* LXXXIV, 11.

hoc est amare iustitiam; et cum iam declinaveris a malo et feceris bonum, quaere pacem et persequere eam ».[6]

Ita autem animati ac conformati christifideles cum fuerint omnes, haud dubium est quin adhibitae preces ad Altissimi Numinis solium sint pergratae ascensurae, et a propitiato Deo ea impetrent solacia et munera, quibus in praesens tantopere indigemus.

Nostis vero quibus muneribus, quibus opibus atque solaciis gravissimo hoc in discrimine potissimum indigeamus. Id quidem imprimis suppliciter petendum est, ut nempe mentes animique christianae doctrinae praeceptis collustrentur ac renoventur, e quibus tantum privatim publice exspectanda est salus; ut interneciva haec populorum et gentium concertatio saevire desinat, ac civium ordines, amico foedere inter se pacati ac coniuncti, ex congesto ruinarum cumulo novum — iustitia et caritate auspice — aedificium humanae communitati exstruere contendant. At aliud praeterea a Divino Redemptore et a Sanctissima eius Matre precando paenitendoque contendendum est; hoc est ut pax, quae vera ac sincera pax sit, hanc funestam cruentamque conflictationem quam primum excipiat.

Haud facile profecto est in tanta rerum dissolutione perturbationeque, dum adhuc multorum animi invicem infensi exacerbatique sunt, talem componere pacem, quae aequa iustitiae lance temperetur, quae fraterna caritate populos omnes omnesque gentes amplectatur, quaeque latentia non ferat discordiarum simultatumque germina. Quapropter ii peculiari modo caelesti lumine indigent, quorum erit gravissimam hanc causam pertractare, decernere ac pangere, ex quorumque consiliis non modo eorum Nationis sors, sed totius etiam hominum consortionis status pendet futuraeque aetatis cursus. Cupimus igitur ut hac etiam de re supplices ad Deum admoveantur preces, utque insontes praesertim pueri per mensem Maium a Divinae Sapientiae Matre supernam iis lucem nominatim impetrent, quorum sen-

[6] Idem, *In Ps.* LXXXIV, 12; PL, 37, c. 1078.

tentiis causa universa diiudicabitur. Considerent iidem intenteque coram Deo reputent quidquid iustitiae migraverit aequitatisque terminos, id fore profecto, serius ocius, et victis et victoribus detrimentosum quam maxime, cum occulta in eo lateant futurorum bellorum semina, in posterum eruptura.

Optamus praeterea ut qui hortationi huic Nostrae volentes libentesque respondebunt, eorum etiam sortem precando reminiscantur, qui vel profugi ac patria extorres domesticos iterum cernere lares dolentes iam diu desiderant, vel in custodiam traditi debitam post bellum libertatem excupiunt ac praestolantur, vel denique in valetudinariis innumeris sauciato corpore iacent. Hisce miseris ceterisque omnibus, quibus haec immanis conflictatio tot angores doloresque peperit, velit benignissima Dei Parens caelestia largiri solacia, atque illius impertire christianae patientiae virtutem, qua aegritudines vel acerrimae tolerabiliores fiunt, et ad aeternam conducunt promerendam beatitatem.

Vestrum autem erit, Venerabiles Fratres, haec paterna vota hortamentaque Nostra cum creditis vobis gregibus communicare; quibus quidem — imprimisque vobis singulis universis — caelestium munerum auspicem, Nostraeque benevolentiae testem, Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die dominica XV mensis Aprilis, I. Ch. Bono Pastori sacra, anno MDCCCCXXXXV, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

CINCINNATENSIS
(INDIANAPOLITANA)

A METROPOLITICO ARCHIEPISCOPI CINCINNATENSIS IURE DIOECESIS INDIANAPOLITANA SOLVITUR ET AD METROPOLITANAE ECCLESIAE GRADUM ET DIGNITATEM EVEHITUR, ATQUE EX EA ET A DIOECESI WAYNE CASTRENSI, (ET IPSA A PROVINCIA ECCLESIASTICA CINCINNATENSI ABSTRACTA), ET EX DIOECESIBUS EVANSVICENSI ET LAFAYETTENSI IN INDIANA, NUPER ERECTIS, NOVA CONSTITUITUR ECCLESIASTICA PROVINCIA INDIANAPOLITANA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad christianae plebis disciplinam aptius moderandam plurimum sane confert ut peramplae ecclesiasticae provinciae dividantur novaeque exinde provinciae constituantur. Quod quidem perpendentes Nos benigne excipiendam duximus petitionem venerabilis Fratris Ioannis Timothei Mac Nicholas, Archiepiscopi Cincinnatensis, qui ab hac Apostolica Sede postulavit ut ecclesiastica sua provincia dismembretur et nova exinde erigatur ecclesiastica provincia. Quare Nos, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi Consistoriali praepositorum consulto, praehabito quoque voto venerabilis Fratris Hamleti Ioannis Cicognani, Archiepiscopi titularis Laodicensis in Phrygia ac Delegati Apostolici in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, certa scientia ac de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine a metropolitico archiepiscopalis Ecclesiae Cincinnatensis iure Indianapolitanam dioecesim solvimus eamque ad Metropolitanae Ecclesiae gradum et dignitatem evehimus et extollimus. Item ab eadem ecclesiastica provincia Cincinnatensi dioecesim Wayne Castrensem abstrahimus atque eam novasque dioeceses Evansvicensem et Lafayettensem in Indiana, hac ipsa die Apostolicis sub plumbo Litteris a Nobis erectas, novae metropolitanae Ecclesiae Indianapolitanae suffraganeas constituimus; quae proinde una cum ipsa archidioecesi Indianapolitana novam provinciam constituent. Novae itaque huic metropolitanae Ecclesiae Indianapolitanae eiusque pro tempore Archiepiscopis

omnia tribuimus iura, privilegia, insignia, honores et praerogativas, quibus ceterae in catholico orbe metropolitanae Ecclesiae earumque Antistites ad iuris communis normam fruuntur et gaudent: Archiepiscopis insuper peculiarem concedimus facultatem crucem intra suae provinciae limites ante se ferendi, nec non sacro Pallio iuxta liturgicas leges utendi, postquam tamen illud in sacro consistorio rite postulaverint et obtinuerint. Item eamdem metropolitanam Ecclesiam eiusque pro tempore Archiepiscopum iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceterae Ecclesiae metropolitanae earumque Praesules iure communi adstringuntur. Ad quae omnia uti supra disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem quem supra diximus Fratrem Hamletum Ioannem Cicognani, in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis Delegatum Apostolicum, deputamus eidemque necessarias ad id et opportunas tribuimus facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, et onus ipsi imponimus ad Sacram Congregationem Consistorialem authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar quamprimum fieri poterit transmittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet, quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac decernimus; non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus, ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce praesentibus tribueretur si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, subiectionis, statuti, man-

dati, decreti, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo quarto, die vicesima prima Octobris mensis, Pontificatus Nostri anno sexto.

Pro S. R. E. Cancellario
I. Card. GRANITO DI BELMONTE
Decanus S. Collegii

Fr. RAPHAËL C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis

Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*
Alfridus Vitali, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXIX. n. 5 - Al. Trussardi.

II

INDIANAPOLITANA
(EVANSVICENSIS)

AB ARCHIDIOECESI INDIANAPOLITANA PARS DISMEMBRATUR ET NOVA EXINDE ERIGITUR DIOECESIS EVANSVICENSIS.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ecclesiae universalis sollicitudo, qua urgemur, illud quoque a Nobis postulat ut novae constituantur dioeceses, quoties hoc in maiorem dominici gregis utilitatem cedere videatur. Cum itaque ab Apostolica Sede expostulatum fuerit ut Dioecesis Indianapolitana, Apostolicis sub plumbo Litteris *Ad christianae plebis* hac ipsa die a Nobis datis, in archidioecesim evecta et constituta, ad maius christifidelium in ea commorantium bonum, dividatur et nova exinde erigatur dioecesis, Nos oblatis precibus benigne annuendum censuimus. Quapropter, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi Consistoriali praepositorum consulto, habito favorabili venerabilis Fratris Ioseph Ritter, Indianapolitani Antistitis, voto, suffragante venerabili Fratre Hamleto Ioanne Cicognani, Archiepiscopo titulari Lao-

dicensi in Phrygia ac Delegato Apostolico in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit, vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, ab archidioecesis Indianapolitanae territorio partem separamus complectentem civiles comitatus *Sullivan, Grenne, Knox, Daviess, Martin, Gibson, Pike, Dubois, Posey, Vanderburgh, Warrick, Spencer,* huius comitatus Municipio Harrison excepto, atque e territorio, ita avulso, novam erigimus dioecesim, quam *Evansvicensem* nuncupari decernimus. Novae huius dioecesis episcopalem sedem in *Evansvico* urbe constituimus, a qua dioecesis ipsa nomen mutuatur. Episcopi vero cathedram in ecclesia paroeciali, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis in Caelum Assumptae dicata in eadem urbe exstante figimus, eamque propterea ad Ecclesiae Cathedralis dignitatem evehimus, cui atque pro tempore Episcopis Evansvicensibus omnia tribuimus iura, honores, insignia, privilegia, quibus ceterae Cathedrales Ecclesiae earumque Praesules iure communi fruuntur; eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceterae Cathedrales eorumque Antistites devinciuntur. Novam porro hanc Evansvicensem dioecesim suffraganeam constituimus Ecclesiae Indianapolitanae, hac ipsa die ad metropolitanae gradum elatae, et Evansvicenses Episcopos metropolitico Archiepiscopi Indianapolitani iuri subiicimus. Quum autem praesentis temporis adiuncta haud permittant quominus in nova ista dioecesi Canonicorum Capitulum modo constituatur, indulgemus ut interim pro Canonicis dioecesani Consultores ad iuris tramitem eligantur et adhibeantur. Quod vero attinet ad huius dioecesis Evansvicensis regimen, administrationem, Seminarium aliaque id genus, servanda iubemus quae de rebus istis sacri canones et Concilium plenarium Baltimorense tertium praescribunt. Quod autem ad clerum peculiariter spectat, statuimus ut simul ac hae Litterae Nostrae ad executionem demandatae fuerint, clerici Ecclesiae illi eo ipso censeantur adscripti, in cuius territorio nunc legitime degunt. Mandamus denique ut documenta omnia et acta, quae novam hanc dioecesim respiciunt, a cancellaria dioecesis Indianapolitanae Curiae episcopali Evansvicensi quam primum tradantur, ut in eius archivo diligenter serventur. Ad quae omnia uti supra disposita et constituta exsecutioni mandanda, venerabilem quem supra diximus Fratrem Amletum Ioannem Cicognani, in Americae Septentrionalis Statibus Foederatis Delegatum Apostolicum, deputamus, eidemque propterea necessarias ad id et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eique onus facimus authen-

ticum peractae exsecutionis actorum exemplar ad Sacram Congregationem Consistorialem quam primum fieri poterit transmittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus; non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus autem ut harum Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides quae hisce Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, decreti, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo quarto, die vicesima prima octobris mensis, Pontificatus Nostri anno sexto.

Pro S. R. E. Cancellario
I. Card. GRANITO DI BELMONTE
Decanus S. Collegii

Fr. RAPHAËL C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis

Alfonsus Carinci, *Proton. Apost.*
Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXIX, n. 9 – Al. Trussardi.

III

WAYNE CASTRENSIS
(LAFAYETTENSIS IN INDIANA)

A DIOECESI WAYNE CASTRENSI TERRITORII PARS DISMEMBRATUR ET NOVA EXINDE ERIGITUR DIOECESIS LAFAYETTENSIS IN INDIANA NUNCUPANDA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ut sedulo studio novae constituantur dioeceses, quoties id aeternae fidelium saluti et ecclesiastici regiminis utilitati magis magisque conferre videatur, supremi, quo fungimur, apostolatus officium a Nobis postulat. Cum itaque huic Apostolicae Sedi vota delata fuerint ut nimis latum dioecesis Wayne Castrensis, in Foederatis Americae Septentrionalis Statibus, territorium in duas dividatur partes, ut nova exinde erigatur dioecesis, Nos, omnibus mature perpensis, oblatis precibus annuendum censuimus. Quapropter, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Consistoriali praepositorum consulto, habito quoque venerabilis Fratris Hamleti Ioannis Cicognani Archiepiscopi titularis Laodicensis in Phrygia ac in Foederatis Americae Septentrionalis Statibus Delegati Apostolici, favorabili voto, certa scientia, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit, vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, a quam supra diximus dioecesi Wayne Castrensi illam territorii partem separamus civiles comitatus complectentem *Newton, Fulton, Jasper, Pulaski, Benton, Warren, Fountain, White, Tippecanoe, Montgomery, Cass, Carroll, Clinton, Boone, Miami, Hovard, Tipton, Hamilton, Grant, Madison, Blackford, Delaware, Jay, Randolph,* atque ex ita avulso territorio novam erigimus dioecesim a *Lafayette* urbe Lafayettensem in Indiana nuncupandam. Huius novae dioecesis episcopalem sedem in hac *Lafayette* urbe, a qua dioecesis ipsa nomen mutuatur, constituimus, eamque propterea ad civitatis episcopalis fastigium extollimus. Episcopi vero cathedram in paroeciali Ecclesia Beatae Mariae Virgini dicata, in eadem urbe exstante, figimus, illamque idcirco ad Cathedralis Ecclesiae gradum et dignitatem evehimus, eique et Lafayettensibus in Indiana pro tempore Episcopis omnia tribuimus honores, insignia, iura, privilegia, favores et gratias, quibus ceterae Cathedrales Ecclesiae earumque Antistites iure communi gaudent, istosque pariter iisdem adstringimus one-

ribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Novam porro hanc Lafayettensem in Indiana dioecesim suffraganeam constituimus Ecclesiae Indianapolitanae, ad Metropolitanae gradum hac ipsa die a Nobis evectae, et Lafayettenses in Indiana pro tempore Episcopos metropolitico Archiepiscopi Indianapolitani iure subiicimus. Quum autem praesentibus temporis adiuncta haud permittant quominus in nova ista dioecesi Canonicorum Capitulum modo constituatur, indulgemus ut interim pro Canonicis Consultores dioecesani ad iuris tramitem eligantur et adhibeantur. Quod vero attinet ad dioecesis Lafayettensis in Indiana regimen et administrationem, ad Seminarii erectionem, ad clericorum et fidelium iura et onera, aliaque id genus, servanda iubemus quae sacri canones et Concilium plenarium Baltimorense tertium praescribunt. Quod autem ad clerum peculiariter spectat, decernimus ut simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur adscripti in cuius territorio legitime degunt. Volumus insuper ut a cancellaria dioecesis Wayne Castrensis quamprimum fieri poterit tradantur Curiae novae dioecesis Lafayettensis in Indiana documenta omnia et acta, quae istam dioecesim eiusque clericos et fideles respiciunt ut in eius archivo diligenter serventur. Ad quae omnia ut supra disposita exsecutioni mandanda, venerabilem quem diximus Fratrem Hamletum Ioannem Cicognani, in Foederatis Americae Septentrionalis Statibus Delegatum Apostolicum, deligimus eidemque propterea tribuimus necessarias ad id et opportunas facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eique onus facimus authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar ad S. Congregationem Consistorialem quam primum transmittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac decernimus; non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus

vel specialibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum dispositionibus, ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce praesentibus Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, decreti, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo quarto, die vigesima prima Octobris mensis, Pontificatus Nostri anno sexto.

Pro S. R. E. Cancellario
I. Card. GRANITO DI BELMONTE
Decanus S. Collegii

Fr. RAPHAËL C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis

Carolus Respighi, *Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXIX, n. 13 – Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

PIA UNIO MATRUM CHRISTIANARUM, VULGO « BRUDERSCHAFT CHRISTLICHER MÜTTER » NUNCUPATA, IN TEMPLO ABBATIALI EINSIDLENSI CANONICE INSTITUTA, AD PRIMARIAE DIGNITATEM PRO OMNIBUS HELVETIAE DIOECESIBUS EVEHITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Nobis exponendum curavit Venerabilis Frater Sedunensium Episcopus, nomine quoque ceterorum Helvetiae Episcoporum, admodum in votis habere ut ad primariae dignitatem evehere dignemur inter fines Helveticos Piam Consociationem Matrum christianarum, « Bruderschaft Christlicher Mütter » vulgo nuncupatam, quae sub patronatu Beatae Mariae Virginis Einsidlensis et Sancti Meinradi canonice erecta est in templo abbatiali Monasterii Einsidlensis ex

Ordine Sancti Benedicti. Nam cum Mulierum christianarum Uniones, quae in dioecesibus Helveticis exstant, usque nunc vel Primariae Unioni a Nostra Domina de Sion, quae Lutetiae Parisiorum anno MDCCCLVI constituta est, vel Primariae Ratisbonensi annis MDCCCLXXI-MDCCCLXXIII pro locis quorum maior pars incolarum lingua germanica utatur pariter constitutae, aggregatae sint; Praesulibus memoratis, ut Uniones mulierum Helveticae maiores in dies habeant incrementa ac simili quoque modo gubernentur, valde opportuna unius videtur nationalis Primariae canonica institutio intra ipsosque Helvetiae fines, cui omnes tum iam erectae tum in posterum erigendae Piae Uniones aggregari queant. Apostolicus autem Noster Nuntius in Helvetia, cum Nobis amplissime commendet eorundem Episcoporum vota, Nobis etiam testatur memoratas Mulierum christianarum Uniones eadem in Natione late esse diffusas, quae in Actionis Catholicae quoque Opera laudabiliter sollerterque incumbunt, sed ex nova nationalis primariae erectione pluribus exinde in locis, qui nunc consociationibus eisdem carent, alias sub eodem titulo eodemque cum proposito mulierum consociationes posse certe constitui cum magno religionis emolumento. Quae cum ita sint Nos caritate, qua urgemur, permoti erga Helvetiae mulieres christifideles omnes ad eorumdem spirituale bonum provehendum, precibus Praesulum quos memoravimus benigne annuentes, praesentium Litterarum tenore, Apostolica Nostra auctoritate, perpetuumque in modum, *Piam Unionem Matrum Christianarum,* vulgo « Bruderschaft Christlicher Mütter » nuncupatam, iampridem in templo Abbatiali Einsidlensi canonice institutam, pro omnibus Helvetiae dioecesibus ad *Primariae* dignitatem evehimus; ipsiusque Primariae Unionis nunc per Nos erectae moderatoribus praesentibus et futuris ad Codicis Iuris Canonici normam impertimus rite sibi aggregandi facultatem omnes et singulas Pias Uniones, quae sub eodem titulo in ipsius Helvetiae finibus iam erectae vel in posterum erigendae sint, illisque communicandi Indulgentias omnes ac spirituales gratias ab Apostolica Sede Primariae eidem concessas sive concedendas, dummodo cum aliis queant communicari. Ad hunc igitur finem novae Nationis Helveticae Unioni Primariae Matrum christianarum Einsidlensi largimur omnes et singulas Indulgentias ac spirituales gratias, quae Decessor Noster rec. mem. Pius IX, die XVI m. Septembris an. MDCCCLXXIII, Primariae Ratisbonensi concessit, nec non eas quibus Primaria Cracoviensis gaudet ex benigna largitione Decessoris Nostri rec. mem. Pii Pp. X, die XXVIII m. Iulii, an. MCMXIV data. Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper existere et permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri

atque obtinere, ipsique Unioni Matrum christianarum Einsidlensi sic in Primariam pro Natione Helvetica per Nos erectae nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet scienter sive ignoranter contigerit attentari. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIX mensis Martii an. MCMXXXXIV, Pontificatus Nostri sexto.

A. Card. MAGLIONE, *a Secretis Status.*

EPISTULA

AD EM̃UM P. D. ALEXANDRUM TIT. SANCTAE MARIAE IN COSMEDIN S. R. E. PRESBYTERUM CARDINALEM VERDE, PATRIARCHALIS BASILICAE LIBERIANAE ARCHIPRESBYTERUM, OCTOGESIMUM AETATIS ANNUM FELICITER EXPLENTEM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Explenti feliciter tibi octogesimum aetatis annum Nostrae quidem gratulationis officia periucundum sane est Nobis publice libenterque declarare. Hoc enimvero diuturno admodum vitae spatio, ab ipso iuventutis flore, ut Decessor Noster ven. mem. Pius XI tibi dena sacerdotii lustra peragenti memorabat, Apostolicae huic Sedi iugiter inservisti. Atque in praesens quoque, licet annis provectior, Romanae purpurae nitorem decoremque exornas adsiduis studiis consiliisque egregiis, quibus Romanae Curiae officiis ministeriisque operam navas. Quare Nos praesentem opportunitatem nacti, tibi, Dilecte Fili Noster, de emenso hucusque vitae curriculo ex animo gratulamur, et laetam faustitatem fervidis secundisque votis prosequuti, Deum impensa prece exoramus, ut valetudinem tuam confirmet teque supernis donis solaciisque ditare benigne velit. Quorum quidem in auspicium, inque peculiaris Nostrae caritatis pignus. Apostolicam Benedictionem tibi, Dilecte Fili Noster, omnibusque tuis propinquis et amicis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXVII mensis Martii, anno MDCCCCXXXXV, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. XII

ALLOCUTIO

A BEATISSIMO PATRE, DIE XVIII MENSIS MARTII A. MCMXLV, HABITA CORAM POPULO IN FORO SANCTI PETRI IN VATICANO OB PAENITENTIALES SUPPLICATIONES COADUNATO.

La devota premura con la quale, diletti figli e figlie, siete qui accorsi in dense schiere da tutte le parti dell'Urbe, Nostra Sede episcopale, è una testimonianza vivente della vostra docile corrispondenza alla esortazione che la Chiesa nella Domenica di Passione rivolge a tutti i fedeli: *Utinam hodie vocem eius audiatis.*[1] Possiate oggi udire la voce del Signore! Questa voce del Signore, di cui le campane delle vostre chiese, i potenti bronzi di questa Patriarcale Basilica vi apportano quasi una debole eco, ha risonato durante le trascorse settimane di Quaresima nell'intimo dei vostri cuori, mentre, adunati intorno ai pergami delle vostre parrocchie, ascoltavate la parola degli zelanti predicatori delle Missioni da Noi ordinate, i quali, come fecero già nei secoli passati i loro predecessori, vi inculcavano con ardente sollecitudine, talvolta anche con amorevole severità, di pensare e di provvedere alla sola cosa necessaria, all'« *unum necessarium* »,[2] alla vostra propria spirituale salvezza e santificazione.

In questo tempo benedetto il Seminatore divino è passato in mezzo a voi e ha gettato a profusione il seme della sua parola nelle vostre anime, che con tante preghiere e penitenze si erano preparate a riceverlo, come in terra buona e feconda.

Ed ora, dinanzi alla Santa Croce, sulla quale Cristo, le braccia distese, vi chiama e vi attende, Noi, suo indegno Vicario, vi scongiuriamo, figli e figlie dilettissimi, affinchè « rinnegata l'empietà e i desideri mondani, viviate in questo secolo con temperanza, con giustizia e con pietà, aspettando quella beata speranza che è l'apparizione gloriosa del gran Dio e Salvatore nostro Gesù Cristo ».[3]

D'ora innanzi non vi sia nessuno tra voi che manchi di inalzare ogni giorno il cuore e le mani verso Dio in umile e fiduciosa preghiera di adorazione, di lode, d'impetrazione, e di ringraziamento.

Santificate la Domenica, il giorno del Signore, come i fedeli romani, vostri padri, ve ne han dato l'esempio fin dal tempo degli Apostoli; accorrete tutti assiduamente al Santo Sacrificio della Messa, accostatevi

[1] *Ps.* 94, 7.

[2] Luc. 10, 42.

[3] Cfr. *Tit.* 2, 11-13.

numerosi alla sacra Mensa eucaristica e diportatevi in guisa che il Dio della pace e dell'amore sia con voi nella vostra vita domestica e sociale.[4]

Voi, o genitori, ricordatevi sempre che siete responsabili dinanzi a Dio, dinanzi alla Chiesa, dinanzi alla umana società, del bene spirituale e temporale dei vostri figli. E voi, figliuoli e figliuole, rinnovatevi nel dovuto rispetto e nella obbedienza verso coloro che vi hanno dato la vita e tengono per voi il luogo di Dio.

Voi, o sposi, rammentatevi del momento, in cui dinanzi all'altare del Signore vi prometteste solennemente e scambievolmente inviolabile fedeltà. Osservatela e custoditela integra, senza la minima incrinatura, senza la più lieve ombra, ed essa sarà sino alla fine per voi e per la vostra famiglia sorgente delle più abbondanti benedizioni. Che se invece in un popolo prendesse a diffondersi e a dominare il morbo funesto della infedeltà coniugale, una così gran colpa attirerebbe su di lui maledizioni e sciagure.

Tutti insieme, con generosa emulazione, studiatevi di reintegrare e restaurare dappertutto l'onestà e la illibatezza dei costumi. Dappertutto: nella educazione della prole, nella formazione di una gioventù pura, sana, schietta, santamente altera e gelosa della sua virtù. Dappertutto: nella vita del lavoro, nelle ricreazioni, negli svaghi, negli esercizi sportivi. Altrimenti, è finito l'onore cristiano del popolo, è finita la sua stessa dignità umana, perchè « Dio non ci ha chiamati alla impurità, ma alla santificazione ».[5]

